

mus, quem nemo sequitur. Quod autem ibidem ad
dit Matthæus, Et non cognouit eam quousque pe-
perisset: non arguit probatue Iosephum cum ea
Post partum coiisse. Denique quod iidem afferunt
quosdam in Scriptura nominari fratres Christi, ut
Iacobum, Galat. i. versu 19. leue est. Fratris enim no-
men ex more Hebræorum, omnes qui sunt eius-
dem cognationis complectitur: quanquam ait Eu-
sebius lib. 2. c. 1. hunc Iacobum, qui iustus vel Oblia-
dictus est, à quibusdam putari esse filium Iosephi
viri Mariæ, sed falso. Atque hæc sunt exigua huius
hæresecos robora. Accedo igitur eorum sententiæ
qui Mariam matrem Christi selectissimum Dei
organum fuisse sentiūt, & eam ἀειπάπτεον, id est, an-
te & post partum virginem māsisse, & vixisse scri-
bunt, non quod tamen eam coniugem votum vir-
ginitatis vovisse, idque marito significasse assen-
tiar, ut est in Can. Beata. & Can. Sic quippe. 27.
quæst. 2. Et de hac quidem quæstione satis. Cui fue-
runt contrarij Collyridiani, de quibus agemus in
Arabicis hæreticis infrá.

CAP. LVII.

Messaliani cur sic dicti. Erroris autem eorum ca-
pita tria commemorantur.



Effalianorum¹ postremam ponit Epiphanius hæresin, quod nomen ex lingua Syria est. Græce autem dicuntur² Εὐχαῖται, ab orando sic appellati. Tantum³ enim orant, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam quum Dominus dixerit, Oportet semper orare, &